

necarat, ex undis exportantes, quæ Eusebius Christi servus deinde collegit, noctuque sepelivit apud Tarracinas.

III. Quia timebunt confusionem publicam in manifestatione scelerum suorum coram toto mundo. Clarum est quantum conentur homines tegere suas turpitudines coram hominibus; et patet primo, exemplo Davidis, qui suum adulterium quo non studio et conatu occultare molitus est? Jussit Uriam intrare ad suam conjugem. Cum non pareret, inebriavit eum, ut vel sic iret. Irrito et hoc conatu, jussit eum occidi. Ecce rex quam timet militem unum subditum coram subditis. Quid si coram toto mundo? Idcirco audit: *Tu fecisti abscondite, ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, et in conspectu solis*, II. Regum XI. Idque factum, quando exultanti exprobravit scelus Semei *maledictione pessima*, uti David eam appellat, III. Regum, capite II. Hebr. habetur, *maledictione nimreseth*. Quam vocem ut expendit Sanctus Hieronymus, in qu. Hebr. sic expendunt Hebræi, ut singulæ litteræ singula probra contineant: *Nun*, quasi *noeph*, id est, adulter: *mem*, quasi *Moabita*, ex Ruth, scilicet gentili natus: *resch*, quasi *Roseach*, id est, homicida: *sade*, quasi *servat*, id est, leprosus et ejectus cum leprosis: *tau*, quasi *mebah*, id est, abominabilis. Hoc probro, inquit, afficit eum Semei in præsentia populi ejus, et in conspectu solis. Sic pudefient impii in iudicio, et uno quasi vocabulo, uno intuitu perstringentur omnia eorum scelera. Notum est ex Plutarcho, in Antonio quid molita sit Cleopatra Ægypti regina, ne ab Augusto Cæsare Romam in triumphum duceretur. Etenim sibi primo sica vulnera in pectore infixit, ut se perimeret; tum medico usa est ad tabem sibi inferendam; denique, aspitem in ficorum corbe absconditam intulit, eique se necandam obtulit. Itaque Augustus saltem imaginem ejus in triumphum duxit. Et quid erat reginam in triumphum duci? Non enim velut hostis, sed veluti præda nobilissima producta fuisset. Timuit nimirum aliis de causis, quia erat mulier pessima, incestuosa, parrieda, etc. Quid quod vel imago sui confusionem intollerabilem parit? Uti prælato cuidam, qui a Michaele Angelo, ob inspectam curiose ipsius picturam inter inferos depictus, pati id non potuit, quin adito pontif. deleri imaginem suam postularet. Jam ergo quid erit, quæso, in persona, coram tanto mundo, pudeferi?

Sic enim II. Cor. III. dicitur: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi*, Græc. habetur, *pellucidos nos fieri oportet*. Quare sicut crys-

tallus aut vitrum objectum soli, quidquid intus continet plenissime ostendit; sic conscientia hominum, objectæ judici Christo, omnia sua arcana prodent. Quanta igitur confusio erit improbis, si in ipsis appareant tot scelera, uno quasi intuitu, una voce contenta! Nonne Scribæ et Pharisei, quando eorum peccata scripsit Christus in terram, (Joan. VIII.) sensim omnes se subdixerunt, ut ne unus quidem remaneret? Et tamen solus Christus eorum crimina tunc norat. At hic nemo se subducere poterit, cunctaque cunctorum cunctis arcana patebunt. Quare Gregorius, I. VII. moral. c. XIV. illam confusionem ipsa gehenna graviorem existimavit: *Tunc omnis ante oculos culpa reducitur, et mens super gehenna suo gravius igne cruciatur*, ait.

IV. Quia horrebunt assumere corpora sua rediviva, utpote ignita, horrida, misera et deformia, in quibus incipient una cum anima duplicatam pœnam ignis sentire, ac novum quasi infernum. Martyribus aliquot præpararunt tyranni æneum taurum ignitum, in quem ingredi debuerunt; uti Sancto Eustachio cum uxore et liberis. Tale erit corpus assumendum a damnato. Cogitate jam quo vultu aspiciet id anima? Quomodo sibi invicem maledicent, et culpam mutuo impingent? Corpus animæ, quod ab ea male gubernatum; anima corpori, quod ab eo seducta, et ad peccatum illecta sit.

Nec immerito; quia in hoc sæculo simul etiam deliquerunt. Cum anima per superbiam se extulit, aliisque prætulit, statim corpus se exornare, instare, dure alios alloqui, despiciere cœpit: cum anima odium in aliquem concepit, statim corpus se armare, inflammare, conviciari, cedere: e contra cum caro se oblectavit gula, anima ex eadem patella comedebat: cum caro furabatur, anima furtum palliabat, negabat: sic infelices illi conjuges, qui hic peccatorum dulcedinem simul exhausserunt, et in malo strenue consenserunt, sibi invicem maledicent. Refert Judicum historia, capite XVI. Samsone captum a Philisthæis et exoculatum, abductum esse in urbem Gazam, remotissimam et celeberrimam omnium. Sed cur in hanc potius quam in aliam? Respondet in eum locum scribens Nicolaus Serarius admodum congruenter; quia in ea urbe primo, aspexisse meretricem, et ad eam intrasse scribitur ibidem, postea quoque portam urbis abstulisse, sicque maximo dedecore urbem et cives affecisse. Quare, ut vindictam sumerent Philisthæi de hoste suo capitali, verosimillimum est, eos ipsum per eandem portam induxisse multis cum exprobrationibus, ut si vir esset, jam portam destrueret; insultasse

etiam ob vim urbi illatam. Rursum, ante meretricis illius ædes duxisse, ut subsannabundi dicerent: En amicæ tuæ domus, Samson: en stat præ foribus te expectans, comptissima, ornatisima: vide eam si potes. O quam renitens facies ejus! Quam belli! Quid oculos avertis? Cur illam corrupisti? Nunc ergo jure aspicere nequis, quia male aspexisti, etc. Probabile etiam impulsisse eos meretricem, ut Samsoni suo cæco illuderet, eumque cavillaretur. Sic, ni fallor, illudent cacodæmones animæ damnatæ, cum adducent eam ab inferis ad corpus resuendum, omni horrore plenum et abominandum: En, dicent, sponsa tua, quam adeo desperisti, fovisti, coluisti: jungere nunc ipsi, et cum ea deliciare. Quid olim in ejus gratiam non fecisti? Quid non tolerasti? Igitur et nunc habitaculum ea, patere cum ea, cuba cum ea in ardoribus sempiternis: *Subter vos sternetur tineæ, et operimentum vestrum erunt vermes*, Isa. XIV. Ibi cum misero et cæco Samsone sero aperient oculos mentis, quos hic clausurunt: ibi intelligent Christi monitum, quod hic capere noluerunt: *Qui amat animam suam, perdet eam; et qui perdidit animam suam, in vitam æternam custodit eam*.

Quid ergo superest auditores? Id utique, ut nobis attendamus, et quod Jeremias, cap. XV. iterum iterumque monet Hebræos in Babylone positos: *Fugite de medio Babylonis, et salvet unusquisque animam suam*; quia scilicet repente et de nocte improvise expugnanda et occupanda esset a Persis et obvii quique in ea mactandi. Certe si revelaret Deus hanc urbem improvise aliquando ab hoste obruendam, nemo non singulis fere noctibus timeret, sibi que provideret. Si diceret quis propheta alicui, domum ipsius ex inopinato et derepente collapsuram aut incendio corripiendam, næ is singulis noctibus, imo singulis horis in expectatione imminentis mali trepidaret, quin et vigilaret? Hoc igitur est, quod agendum nobis, ne repente superveniat in nos dies illa: *Tamquam laqueus enim superveniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ*, ait Dominus, Lucæ XXI.

CONCIO III.

ELECTI SIMILES AQUILIS.

I. Animo in cælo degunt. — II. S. eucharistia corroborati vivunt. — III. Valde afficiuntur erga v. eucharistiam. — IV. In tribulatione sunt patientes. — V. Renovant subinde spiritum suum. — VI. Ferunt libentes et dissimulant injurias.

THEMA.

Ubicumque fuerit corpus, ibi congregabuntur et aquilæ. Matth. XXIV.

Quando magna tribulatione circumsepti su-

mus, optamus nobis pennas, ut avolare possimus. Ita enim video optasse Davidem in sua tribulatione, Ps. LIV. *Timor et tremor venerunt super me, et contexerunt me tenebræ. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam?* Verum quia columba volans satis tuta non est, hic Apoc. XII. quando prædicatur descensurus ultimis temporibus diabolus *habens iram magnam*, ut persequatur mulierem, h. e. Ecclesiam electorum, adjungitur, dandas esse mulieri alas duas aquilæ magnæ, quibus evolet in desertum, et servet se a dracone. Hoc idem tempus longe mœstissimum audivimus præcidi nobis in hodierno evangelio, tempus, inquam, iudicii, in quo omnes comparebimus. Quid igitur optandum nobis? Alæ aquilarum, ut eo temporis articulo ad Christum evolare, ibique asylum reperire possimus. Hoc enim indicat Christus in hoc evangelio, cum ait ad ipsum iudicem congregandos esse electos, sicut aquilæ congregantur ad corpus, seu pabulum. Ibi circa Christum securi circumvolabunt, et quemadmodum aquila fulmine non tangitur, ita ipsi quoque sententia damnationis minime ferientur. Quod etiam prædicat Isa. c. XL. *Assument pennas ut aquilæ, volabunt et non deficient, etc.* Verum, si in die illo ad Christum congregari sicut aquilæ optamus, necesse est, ut nunc sicut aquilæ vivamus. Id enim insinuat Christus, quando electos suos comparavit aquilis. Quod nunc videbimus.

I. Aquila in alto nidum habet, in alto fere degit, inde terram et quæ in terra sunt omnia despicit aut contemnit, in alto prædam suam quærit, ad terram raro descendit, neque ei diu adhæret. Ita justi, tametsi corpore in terra, animo tamen in cælo fixi sunt; unde omnia terrena pro nihilo habent, et aspiciunt velut res minimas equos velut mures, homines velut vermiculos, h. e. aurum velut lutum, etc. sicut qui de altissimo monte aut turri in subjectam planitiem vel urbem despiciunt. Ita enim apostolus ad Phil. III. postquam descripsisset reprobos: *Quorum Deus venter est, et gloria in confusione, qui terrena sapiunt*, subdit: *Nostra autem conversatio in cælis est*, d. q. reprobi conversantur et loquuntur de rebus puerilibus, de puppis, nucibus, imagunculis, casulis ex luto factis, quæ derident viri. Rustici confabulantur de suis bobus et porcis, de gallinis et columbis, de tuguriis et pratis suis, quæ derident ac spernunt doctores, aulici et principes: sic mundana omnia spernunt ac rident electi, qui mente in cælo fixi sunt. Hinc Maximil. II. appinxit suo symbolo aquilam in nubibus volantem, humi vero coronam, gladium, hastam, mundum cum lem-

mate: *Nil humana moror, dum super astra feror,* Caussin. in parab. hist. l. VI. c. XX. Sunt electi in hoc mundo sicut angelus Raphael in domo Tobiae et itinere ipsius: *Videbar quidem,* inquit, *vobiscum manducare et bibere, sed ego cibo invisibili et potu qui ab omnibus videri non potest, utor,* Tob. XII. Comedebat ergo et bibebat cum hominibus, sed absque gustu et delectatione; cibum porro et potum ori injectum mox in aerem resolvebat. Cibus ejus Dei contemplatio erat, caelestem ipsi delectationem afferens, et terrenam omnem excludens, nihilque faciens: sic electi nullam veram in terrenis bonis delectationem sentiunt; sed resolvunt ea mox in auram, dum ea fluxa et inania levique aura futilliora esse cogitant ac contemnunt. Talis angelus ipse Tobias senior erat, qui caeteris omnibus currentibus ad vitulos aureos, quos erexerat Jeroboam: *Ipse solus pergebat in Jerusalem ad templum Domini, ut adoraret Deum Israel,* Tob. I. Nihil curavit vitulos vita carentes, (imo capita tantum vitulina) quia conversatio ejus cum Deo et templo erat, ubi speciem aliquam caeli vidit, et caelestia audivit. Talis aquila et angelus fuit etiam S. Paulus, ut diximus: de quo S. Gregorius, XXXI. mor. XIX. « Videamus, ait, aquilam nidum sibi in arduis constituentem, qui ait: Nostra conversatio in caelis est: » et rursus: « Qui conresuscitavit et consedere fecit nos in caelestibus, in arduis habet nidum, quia profecto in supernis figit consilium. Non vult mentem in ima dejicere, non vult per abjectionem conversationis humanae infimis habitare. » Et addit hoc esse speciale indicium electorum: « Quod sic sciant praesentis vitae iter carpere, ut per spei certitudinem noverint jam se ad alta pervenisse, quatenus cuncta quae praeterfluunt, sub se esse videant, atque omne, quod in hoc mundo eminet, amore aeternitatis calcant. »

II. Aquila nido suo infert lapidem, ab ipsa *ætiten* appellatum, sive ut eo muniat nidum ac firmet contra tempestates, ut volunt aliqui, vel contra venenata animalia, ut scribit S. Hieronymus, in Isa. cap. LXV. sive ut ejus refrigerio temperet aestum suum nativum, quo alioquin ova comburet, ut vult Aldrov. l. IV. ornith. et alii. *Ætites* ille alium lapillum intra se gerit, qui sonum edit et auditur, at non videtur: repraesentat ergo Christum (qui seipsum lapidem a Judaeis reprobaturum appellavit) in eucharistia contentum; ubi quidem non videtur, sed auditu fidei percipitur, dum audimus: *Caro mea vere est cibus.* Vidit Christus Dominus lapidem hunc cordi nostro, in quo nidum quasi suum habet, valde necessarium esse, non secus ac corpori

necessarius est panis naturalis, tum quia valde infirmis et instabilibus sumus, ut per ejus usum in gratia stabiliamur; unde figuratus fuit panis, quo Elias bis confortatus, ambulavit quadraginta diebus usque ad montem Horeb, III. Reg. XIX. Ille subcinericius, id est, sine fermento celeriter in testa sub cineribus, coctus fuit: panis eucharistiae etiam celeriter paucis verbis cum commemoratione mortis Domini conficitur sine fermento. Tum quia multa nobis insidiantur venenata animalia, mundus, daemones, caro: tum quia aestu concupiscentiae ob vitiatam peccato originali naturam laboramus, quem restinguit hic sacer aetites. Unde S. Bernardus, sermone in cena Domini, ait: « Si quis vestrum, fratres, non ita saepe sentit iracundiae metus, aut invidiae, aut aliorum hujusmodi, gratias agat corpori Domini, nam virtus sacramenti operatur in eo. » Maxime vero resistit concupiscentiae carnis. « Sedat enim, inquit S. Cyrillus Alexan. l. IV. in Joan. c. XVII. cum in nobis maneat Christus, saevientem membrorum nostrorum legem: pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit, etc. » Et quid mirum, si aqua ignem, si virgines et temperatissima Christi caro extinguat aestum carnis? Observarunt nostri patres, qui Laetitia degunt, miram in urbe et vicinia domus Lauretanae deprehendi pudicitiam et castitatem, teste Bened. Fernandio nostro, in c. XXIX. Gen. sect. XI. Si ergo aedes Christi diffundit a se castitatem in viciniam, quid non faciet ejus sanctissima caro?

III. Aquila ad praedam magno fertur impetu. Unde maxima festinatio describitur per volatum aquilae ad escam, uti Job IX. *Sicut aquila volans ad escam:* et Habac. c. I. dicitur de Chaldaeorum adventu ad depraedandos Judaeos: *Volarunt quasi aquila festinans ad comedendum.* Inde etiam Chaldaei illi in vexillis suis aquilas depictas gerebant. Praeda et esca nostra nobilissima et sanissima maximeque necessaria, est, quam diximus, corpus Domini. Ad hoc electi veniunt magna cum aviditate et celeritate, etiam quando exponitur tantum ad venerationem et adorationem; norunt enim ipsum esse unicum thesaurum et solatium suum. Quod si milites, ut Chaldaei illi, tanta cupiditate advolarunt ad Judaeos despoliandos, cum id periculum non careret; nos non decebit ad Christum, qui thesaurus omnibus plenissimus est, necnon ad largiendum pacatissimus, totis viribus contendere? Praeda temporalis diu retineri nequit: Deum quis nobis eripiet?

Est haec etiam non vulgaris nota, quae distinguit electos a reprobis; si nimirum velut boni

et legitimi filii libenter sint cum parente. Quando Saul in regem a Deo electus fuit, et in domum suam rediit, ibi apparuit discrimen inter bonos et malos ejus subditos, I. Reg. X. *Pars enim exercitus, quorum tetigerat Deus corda, abiit cum eo. Filii vero Belial dixerunt: Num salvare nos poterit iste? Et deaspererunt eum, et non attulerunt ei munera.* Quia scilicet a Saule, velut homine obscuro et rusticano, nihil magni aut regii expectabant. Quenam illa pars exercitus? *Viri fortes,* exponit ex Hebr. *hac hail,* id est, *robur,* Cajetanus. Viri ergo strenui a Deo moti, electi sunt; quales illi, qui Paulo et Barnabae: *Crediderunt, quotquot erant praedesignati ad vitam aeternam,* Act. XIII. Quinam viri *Belial?* *Exleges et absque jugo* (hoc enim sonat *Belial*) qui significant reprobos. Pari modo magnum praedictum est electos esse, qui valde afficiuntur erga vener. sacramentum, idque comitantur et requirunt; reprobos vero, qui id non curant nec venerantur. Quales plerumque sunt viri exleges, divites et potentes, qui omne jugum respiciunt, nullius imperium admittunt aut metuunt. Quibus dicere Christus posset, quod Dalila Samsoni dixit: *Quomodo dicis, quod amas me, cum animus tuus non sit mecum?* Judic. XVI.

IV. Aquilae pulli adhuc teneri ungue parentis in aere suspensi in solem intendere coguntur; ac si cujus oculi lacrymarint, aut a solis aspectu deflexerint, is abjicitur et acciditur velut spurius: qui vero immotus recta intueri solem advertitur, pro genuino agnoscitur atque educatur. Causam dat Plinius, l. X. c. III. quod aquilae facile se aliis avibus, uti vulturibus, misceant, unde prodeunt saepe adulterini et spurii foetus, qui solis radios non ferunt. Itaque: *Caestis ignis,* inquit Aelianus, *est incorruptus judae generis aquilini.* Ignis et radius solaris, qui electos probat et discernit a reprobis, est tribulatio. In tribulatione electi sunt immoti, nec avertunt se a Deo ullatenus: reprobi lacrymantur, avertunt vultum a Deo, lamentantur, indignantur, murmurant, ac tandem desperant. Ignis fornacis Chaldaicae combussit Chaldaeos, tres pueros non laesit, sed laetiores et elariores fecit, quomodo ignis aurum purificat, scoriam et paleam consumit. *Socrates cum in comedia taxaretur, ridebat: Polypugrus vero seipsum strangulabat,* inquit Aelianus, l. V. var. hist. c. VIII. Sedent prope se vulpes et aquila: jaculare in eos sclopeto, mox vulpes in foveam se recipiet, aquila in altum avolabit. Immittat Deus telum alicujus in probum et improbum: ille Deum laudabit, hic blasphemabit, aut certe murmurabit. Sederunt in una domo Job et uxor ejus; ejaculatur in eos

Satan tormentum tribulationis: *Job* velut aquilae genuina proles ad Dei laudem et benedictionem evolat; uxor in foveam murmurationis et indignationis se proripit, mortem viro imprecans, Deo maledictum.

V. Aquila renovat se ac reparat vires; sive excutiendo pennas veteres et acquirendo novas, ut scribit S. Hieronymus, in Isa. sive rostri aduncitatem ad petram elidendo, ut vult S. Augustin. in Ps. CII. Habent hoc et electi, ut languescentem et inveteratum spiritum subinde rursus innovent atque instaurent. Quemadmodum enim avis, nisi assidua alarum agitatione et novis semper conatibus se in altum libret, paulatim decidet; ita mens nostra pondere carnis gravata, sensim cadit et deficit, nisi novis propositis subinde attollatur. Priorem aquilae renovationem quotidie faciendam electis per examen conscientiae opinor, in quo cum aquila ad tribunal Dei evolent, ibique ad conspectum solis defectus et foeditates suas considerent, tum in fontem lacrymarum et compunctionis sese demittant, sicque excussis peccatorum plumis, in nidum lectuli sui devolvant. Posteriorem saepius in anno, ac si fieri queat, singulis saltem mensibus aut festis praecipuis; in quibus os percutiendum ad tribunal confessarii per confessionem, sicque praeparandum atque aperiendum ad sanctam dignamque communionem. Videtur nobis Deus menstruam lunae renovationem in temporum tantum distinctionem, sed in documentum etiam dedisse, ut sicut ipsa se, et una secum plurima sublunaria singulis mensibus renovat, ita nos quoque animum nostrum renovaremus. Scimus enim una cum luna crescere et decrescere affluxum maris, humores in humoribus, imo et hominibus. Cynocephalus, decrescente luna, sensim hebetatur, ac deficit viribus et oculis; ipsa renovata et crescente, iterum instauratur, eamque, erigendo pedes anteriores, adorare fertur, ut refert Pierius, l. VI. hierogl. c. XLVI. Formicae singulis mensibus semel, inter lunio scilicet, cessant a consueto opere, nec e cavernis egrediuntur, quasi astrologiae peritae sint; putanturque tunc opera sua inspicere et recensere, ut scribunt Aelianus, l. I. c. XXII. Aristoteles, in hist. animal. c. XXXVIII. Elephant in Mauritania singulis lunis novis descendunt in fluvium, sequuntur aquis purificant, necnon lunam salutant, et quodammodo adorant, teste Plinio, Dione, Solino. Est et piscis, qui inter natandum lunae figuram efficit, et cum luna crescente impletur, decrescente marcescit, exsiccatur et interit; ideo *luna* appellatur, apud Aelian. l. XV. c. IV. Hebraei quoque olim calen-

bus, seu festum neomeniæ, celebrabant cum sacrificiis, Num. XXVIII. et cum tubæ sonitu (Psal. VIII. *Buccinate in neomenia tuba*) ut faustum mensis decursum a Deo, qui per lunam, velut per vicinissimum fidus, plurima in sublunaribus operatur, impetrarent. Quin et hodieque ascendant in turriculas synagogarum, inde annuntiant per tubæ sonitum festum illud. Ad hæc principes familiarum et præfecti per singulos menses intrare ad regem Davidem, et ministrare debuerunt, I. Par. XXVII. Denique, apud Romanos etiam in calendis confluebat populus in urbem, et plebs in Capitolium convocabatur a pontifice idolorum, ut discerent, quid per mensem agendum esset, Macrob. I. I. Saturn. apud Corn. in Nu. c. XXVIII. Omnia hæc quid nisi stimuli sunt, ut et ipsi renovemus singulis saltem mensibus languescentes animos nostros?

VI. Aquila psittacorum et cornicum insularis atque obtreccationes generose fert et committit, sursum evolando et earum lapsus in terra se intuendo, *Elia*. I. V. c. II. Quin et patitur ab iis, cum est imbecillior, sese deplumari; at meminit injuriæ, dataque postea occasione, ab iis perimit, *Alb. M. I. VIII. anim. c. II. Pari modo electi sustinent quidem hic, nec illibenter, reproborum injurias et calumnias; quia Deo eas commendant, quin et ignoscunt facile. Verum in die judicii, cum, glorificato corpore et animo, cælestes induent viros ad sese ulciscendum et: Faciendam vindictam in nationibus, et increpationes in populis, ad alligandos reges in compedibus et nobiles eorum in manicis ferreis, (Ps. CXLIX.) juxta Christum in alto velut aquilæ circumvolabunt, et rostro accusationis inimicos suos percutient. Sic Esther injurias et machinationes Amanis contra se et gentem suam tacens ad tempus sustinuit, donec rex ad convivium ejus venit. Postea in mensa sua coram rege hostem gentis suæ capitalem aggressa est, et percussit illa exprobratione: *Hostis et inimicus noster pessimus iste est Aman*. Qua voce ita eum percussit, ut miser vultum regis et reginæ ferre non posset, rex vero continuo suspendi eum juberet, *Esth. VII. Hunc in modum electi ferunt quidem in præsentem tempore probra et injurias impiorum: at ubi rex et sponsus eorum Christus venerit in die judicii, quando electi ad ipsam congregabuntur velut aquilæ ad corpus, hæc invadent inimicos suos: Et faciunt in eis judicium conscriptum. Gloria hæc est omnibus sanctis ejus.**

CONCIO IV.

AMARI FRUCTUS FIGUS VETITÆ SEU PECCATI.

I. Animi perturbatio ac despoliatio. — II. Vitæ præcisio et immatura mors. — III. Mors mala et terribilis. — IV. Judicium Dei tremendum. — V. Damnatio.

THEMA.

Ab arbore fici discite parabolam. Matth. XXIV.

Oseas propheta, ut miserum reipublicæ Hebraicæ statum depingeret, jussus est a Deo in uxorem accipere fornicariam unam. Parens ille edicto perquam duro, accepit Gomer, filiam Debelaim, ut habetur *Ose. I. malo scilicet omine, sed ad propositum finem valde idoneo. Etenim Gomer consumptionem vel corruptionem significat; mater ejus Debelaim, duas ficum massas. Ergo corruptionem accedit, filiam ficuum. Infaustum sane conjugium. Audiamus Vatablum eo loco: « Gomer, ait, significat consumptionem, et Debelaim palatas duas, quibus animi et corporis voluptates intelliguntur, quæ pariunt consumptionem et interitum, juxta illud apostoli: Qui seminat in carne, de carne metet corruptionem, » ad *Gal. VI. Hoc infelix conjugium iniere cum ficu primi nostri parentes, cum voluptate, inquam, carnis; et messuerunt corruptionem. Hoc ipsum usque hodie contrahunt innumeri alii filii Adæ, et nil aliud metunt nisi corruptionem. Ergo ut pessimam hanc arborem illis prohibeamus, examinabimus ejus fructus, sane amaros et pestilentes.**

Quinque ficus invenio admodum suspectas in ss. litteris, qui totidem pestilentes et amarissimos fructus peccatori successive ferunt. Qui sunt:

I. Animi perturbatio ac despoliatio. Hanc tulit protoplastis eorumque posteris arbor illa vetita, quæ probabiliter putatur fuisse ficus a Theodoro, Procopio, Isidoro Pelusiota, Gennadio, Barcepho, quia mox ab esu foliis se ficus texerunt primi parentes, ut habetur *Gen. V. ver. VII. quasi ab eadem arbore, unde comederant, velut proxima ea decerpserint, quæ alioquin etiam fructus dulcissimos et præ omnibus aliis desideratissimos gignebat. Statim enim viderunt se esse nudos, et de sua nuditate vehementer erubuerunt; deinde etiam trepidarunt, metuentes sibi non solum a Deo vindice, verum etiam a feris bestiis, quarum imperium jam perdiderant; qua de causa se absconderunt et fugerunt, denique a verme conscientie eos lancinante, vehementer cruciati sunt; quem videtur auxisse serpens, qui, ut colligitur ex s. textu (aderat*

enim protoplastis, etiam fugitivis cum a Deo maledicerentur) fugientes insecutus est, ut velut reos proderet atque accusaret. Addunt Hebræi dd. eum in arborem irrepsisse, et inde sibilis ac satanico plausu eos derisisse ac prodidisse. Deus bone, quid hoc rei? Itane imperator mundi Adam, totius terræ dominus, unicus terræ incolæ, tanta pollens sapientia et imperio, erubescit, timet, fugit, seque abscondit? Hi nimirum fructus sunt, qui peccatum perpetratum immediate consequuntur. Pudor in primis, de quo apostolus ad *Rom. VI. ait: Quem fructum habuistis tunc in illis in quibus nunc erubescitis?* ad instar scilicet temulenti, qui in temulentia bestiales mores præ se tulit; postea ubi edormivit crapulam, ridetur et erubescit. Habet enim hoc peccatum, ut pudorem homini mox injiciat, quominus apparere coram viris honestis, præsertim dominis suis, audeat: quod vel in bestiis cernimus, quæ post damnum aliquod datum, fugiunt et demittunt vultum, vel abscondunt se. Hinc preceus est Abner Azaelem, ut desisteret a sui persecutione, ne cogere ipsum confodere; et postea non posset amplius levare faciem suam ad Joab fratrem ejus, *II. Reg. II. Phlail, S. Sabæ discipulus, cum in fornicationem lapsus esset, et ob id vidisset asinum suum a leone, prius cicure, devoratum, fugam arripuit, non audens apparere amplius coram abbate suo, in vita S. Sabæ, Sur. 5. dec.*

Deinde, timor judicii divini, qui post primos parentes occupavit etiam filium eorum, Cain, postquam is fratrem occidit; ita ut nullibi tutus consistere posset, ideoque, ut Hebræi volunt, in silvis habitaret, postea vero civitatem extrueret, et muro se includeret. Occupavit etiam Moysen post factam Ægypti cædem, in qua juxta *D. Augustinum, I. XXII. contra Faustum, c. LXXVI. culpam aliquam contraxit, aut ut aulam Pharaonis, in qua velut princeps et nepos regis habitus fuerat, deseruerit et fugerit in Madian, et oves ibi paverit per quadraginta annos in servitutis miseriis et ærumnis, Exod. I. Waltherus de Escenbach, nobilissimæ familiæ in aula Alberti I. imper. cædis ejus complex, fugit in Witembergiam, ibique loco obscurissimo per triginta quinque annos bubuleum agens latuit, ac moriens primum confessorio aperuit, quis esset, Gerard. de Roo, I. II. Austr. chron. Quod si adeo timetur judicium humanum, quid erit reum esse judicii divini?*

Ad hæc remorsus conscientie, qui eam velut serpens protoplastos, vel uti canis furem sequitur et perpetuo allatrat, turbatque tristi clamore mentem prius pacatam. Unde de ipsa dici po-

IV. PARS ÆSTIVALIS.

test quod de eversa pulchra Babylone dicitur *Isa. XIII. Respondebant illi ululæ in ædibus ejus, et Sirenes (Chald. dracones, Septuag. hericii) in delubris voluptatis. Sic enim in corde peccatoris diruto non audiuntur nisi ululæ, dracones, ubi prius, dum peccaret, suaviter canebant voluptatum Sirenes: sentiuntur spinæ hericii undique pungentes in corde, inquam, quod prius erat quasi paradisi voluptatis ob mentis tranquillitatem: adeoque templum Dei fit delubrum dæmonum. Quibus accedunt folia ficus aspera, et carnem fricantia, quæ significant difficultatem et asperitatem pœnitentiæ, quam subire coguntur peccatores, non sine horrore et renitentia. Quemadmodum enim hamus a pisce facile deglutitur, sed non facile iterum evomitur, cum intestinis adhæreat; ita et peccatum facile admittitur, sed non tam facile per confessionem expuitur, et satisfactionem expiatur. Labore hic opus est.*

II. Vitæ præcisio et immaturæ mortis comminatio. Colligere hunc fructum ex illa ficu possumus, quam ob sterilitatem trium annorum excidi jussit herus, eo quod terram frustra occuparet; quamquam vineæ cultor pro ea rogans promisit, quod circa eam fodere, et stercora mittere vellet, quoad frugem reduceretur, *Luc. XIII. Fodit ille circa peccatorem, quando percutit eum morbo aliquo lethali vel admodum periculoso, quasi jam foveam sepulcri parans excidendæ inutili arbori, ut quæ frustra terram occupet, et melioribus aliis scandalo sit atque oneri. Vidit aliquando Diogenes puerum diu valde in cruce jaculantem; de quo eum corripiens dixit: Cave ne tandem scopum tangas, h. e. ne in crucem, quam jaculis petis, agaris, Lycost. in apophth. Idem nequaquam temere dici potest iis, qui peccatorum jaculis Christum crucifixum impetunt, ne brevi scopum tangant, et ipsi in crucem ægritudinis acti, excindantur ex hoc mundo, velut steriles arbores. Solet enim Deus inutilia ejusmodi ligna fere ante maturam ætatem tollere e medio, quemadmodum *Ps. LIV. dicitur: Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos. Quod inter alios expertus est Anastasius imp. cui in somnio apparuit vir terribili specie, librum ostendens, in quo scriptum erat: En ob perversitatem tuam quatuordecim tibi annos vitæ deleo, ut refert Cedrenus et Zonaras, q. III. qui ita rem evenisse et fulmine ictum imperatorem periisse scribunt. Cain quoque stirpem suam non nisi ad septimam generationem extendit, quæ in diluvio tota perit. Denique, mittit circum eum stercora, h. e. Malorum, quæ fecit abominationem ad animam reducit, inquit ibi glossa.**